



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

151. Quis ignoranter cognovit uxorem post eius adulterium perpetratum, postea illa mortua vult Sacros Ordines suscipere, quæritur, an censendus sit irregularis tanquam bigamus? Et an ad incurrendam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

De Irregularitate. Resol. CXLIX. &c. 283.

bigamia num. 4. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 85. num. 5. Suarez de cens. disp. 49. sect. 6. Coninch disp. 18. dub. 11. num. 102. & alij penes ipsos, & probant hanc opinionem ex cap. 1. qui Clerici, vel vocantes, & ex c. 2. eodem titulo.

2. Sed adversus hanc sententiam novissimè insurgit Hurtado disput. 2. de irregular. diff. 13. num. 47. ubi sic ait. Bigamia similitudinaria contingit quando quis post votum solenne castitatis contrahit matrimonium, quamvis cum virgine, quæ tantum habet locum cum Religioso, & non cum seculari in Sacris initiato, ut contra Suarez & Coninch advertunt non pauci, tum quia in cap. quatuor 27. quest. 11. obi induci ut hæc irregularitas tantum est sermo de Religiosis, tum etiam, quia aliis superflue secularibus in Sacris constitutis appositæ esset irregularitas in cap. nuper quando post unum matrimonium validum ante ordinationem contractum post ordinationem contrahunt aliud, quia primum matrimonium non esset necessarium ad irregularitatem, quia sufficeret contrahere post ordinationem, & etiam superflue appositæ esset eis irregularitas in cap. ult. de bigamis, quando post ordinationem contrahunt cum vidua, quia ad hanc irregularitatem ex bigamia similitudinaria sufficeret contrahere cum Virgine, ut patet in cap. quatuor. Ita Hurtado, & ante illum Tannerus in 3. part. disput. 6. quest. 10. dub. 10. num. 184. qui citat Henriquez. Ad Canones vero quos pro contraria sententia adducit Sanchez & alij, respondet Turrianus de cens. lib. 9. disp. 70. dub. 1. quod in illis capitulis non appareat initiatis sacris Ordinibus contraxisse cum virgine.

RESOL. CXLIX.

An uxorem vi ab alieno cognitam maritus post Adulterium violentum cognoscens, incurrat irregularitatem bigamiæ? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 20.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Glossa, Turceremata, Henriquez, Majolus, Palatius, Vivaldus & alij, quos affert & sequitur Thom. Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 84. num. 5. quibus ego addo Villalobos in summ. tom. 1. tract. 11. diff. 31. num. 6. Suarez de cens. disp. 49. sect. 3. num. 16. Et ratio est, quia vis illa præfata excolat fecundam à culpa, at non efficit matrimonium illud aptum esse ad significandam conjunctionem Christi cum Ecclesia; Ergo, &c.

2. Sed contrariam sententiam esse probabilem, docet Io. Præp. in 3. part. D. Thom. q. 5. de irregular. dub. 7. num. 135. quia Canones requirunt ut uxor adulterium commiserit; ut clarè patet ex textu; sed vim passâ nō potest dici adulterium commississe, ergo, &c. Nec valet dicere quod qui ducit corruptam ab alio, etiam vi, sit irregularis. Ergo qui cognoscit propriam uxorem ab alio cognitam. Nam respondetur negando consequentiam, quia in priori casu est expressa juris decisio, cum Canones solum requirant, esse corruptam, quod in omni proprietate etiam dici potest de ea, quæ vi est corrupta. In nostro autem casu dicitur in Canone, cum uxorem adulterium commississe, &c. Item si laici uxor in adulterio fuerit deprehensa, quod nullo modo dici potest in proprietate sermonis de ea, quæ vi ab alio est cognita, & in materia odiosa verba legis sunt restringenda quantum verborum proprietates patiatur.

3. Nec valet dicere secundò quod irregularitas quæ ex bigamia interpretativa oritur, est ex defectu significationis qui etiam resultat ex accessu ad suam, quæ vi ab alio est cognita. Nam respondeo id non referre, quia propter illam solum congruentiam hæc irregularitas non incurteretur si non esset in iure impos-

sita: sed in nostro casu non sufficienter, constat hanc irregularitatem esse in iure impositam, ut patet ex dictis considerando Canones, ergo, &c. Vnde patet responsio ad argumentum factum à Sanctis pro prima opinione.

RESOL. CL.

An quis incurrat irregularitatem bigamiæ, si cognoscit uxorem post ejus adulterium, licet non sit notorium, vel ignoretur ab eo? Ex part. 4. tractat. 2. Ref. 41.

§. 1. **Q**uoad primum, affirmativam sententiam ex Navarro & Castro docet Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 84. num. 5. & patet ex cap. si quis, & cap. si laici, dist. 34. verum Io. Præp. in 3. part. quest. 5. de irregular. dub. 7. num. 133. notat quod videtur requiri ut adulterium sit notorium. Nam in d. cap. si quis, dicitur, si cuius uxorem adulterium commississe, cum esset laicus, evidenter fuerit comprobatum; sed non est recedendum à prima sententia, quia textus ille intelligitur quoad forum externum, non autem in conscientia. Quoad secundum Emanuel Sà ver. irregularitas, qui agit de bigamia, num. 3. Petrus Ledesma de matrim. quest. 66. art. 3. & alij putant, tunc maritum in nostro casu incurtere irregularitatem, quando habet copulam cum uxore quam seipsum commississe adulterium, secus autem si adulterium ignoret.

2. Verum contraria sententia est tenenda, quam tuerentur Doctores, quos citat & sequitur Sanchez loc. citat. quibus ego addo Petrum Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disp. 10. dub. 2. quest. 4. Villalobos tom. 1. tract. 21. diff. 31. num. 6. Ioan. de la Cruz in director. part. 2. de irregul. dub. 1. conclus. 1. Hurtadum disput. 2. de irregul. diff. 13. num. 49. Turrianum de censur. lib. 9. disp. 70. dub. 2. & Avilam de cens. part. 7. disp. 8. dub. 1. ubi cum D. Thom. & aliis ita docet hoc esse verum, * licet maritus compulsus per censuras Ecclesiæ (quia non plenè probavit adulterium in foro externo vel alia de causa) cognoscat uxorem quæ fornicata est. Igitur sive scilicet, sive ignoranter maritus cognoscat uxorem postquam adulteravit, incurrit irregularitatem bigamiæ, quia talis irregularitas incurritur ex defectu significationis, qui revera est in nostro casu, etiam si in marito adsit ignorantia. Vnde cognoscens postea uxoris delictum, soluto matrimonio ab Ordinibus suscipiendis debet abstinere. Et ita præter Doctores citatos tenet etiam hanc sententiam Petrus Cornejo in 3. part. D. Thomæ tract. 5. de irregul. disputat. 10. dub. 2. quest. 4.

Pro utroque casu, & contento in hac Ref. in §. 2. & 2. Ref. seq. & in c. 3. it. 1. Ref. 39. §. Difficultas. & §. Sed ut verum.

* Sup. his censuris in Ref. 2. not. præterita, §. Sed quid dicendum.

RESOL. CLI.

Si quis ignoranter cognovit uxorem post ejus adulterium perpetratum, postea illa mortua vult sacros Ordines suscipere; quæritur an censendus sit irregularis tanquam bigamus?

Et an ad incurrendam irregularitatem bigamiæ requiratur utriusque seminis commissio? Ex part. 7. tract. 12. & Misc. 3. Ref. 20. aliàs 18.

§. 1. **A**ffirmativè respondeo, quod mirum alicui videbitur; sed ita res est. Dicendum est igitur, quod contrahitur bigamiæ irregularitas ex quacumque adulterij ignorantia, si post illud cognoscatur; quia hic non agitur de vitio promovendi ad Ordines, ad quod desideratur scientia: sed de significationis defectu, quem potest pari ignorans. Et lex promotionis factum requirit, non voluntatem cap. ult.

Aa 4 tim.

P. hac
scientia, &
ignorantia
ibidem.

tim. 15. quæst. 1. Nec obstant argumenta contra. Nec primum, quia longè alia ratio est de irregularitate ex occasione iusta consergente, & de hac. Quod illa oriatur ex defectu perfectæ lenitatis, qui nullatenus invenitur in ignaro occisionis. Hæc autem ex defectu significationis Sacramenti qui æquè invenitur; siue scientia, siue ignorantia adsit. Non obstat etiam secundum cum sua confirmatione, quia satis est copula illa sit voluntaria, & ex arbitrio procedat, ac proinde sit actus humanus: quamvis ignoretur corruptio, vel adulterium uxoris.

Sup. hoc no-
rando sup. in
Ref. 149.

2. Et ideo hanc sententiam tenet Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 84. num. 15. cui ego addo Caspensem in Cursu Theolog. tom. 2. tractat. 25. disput. 5. sect. 1. 4. num. 97. ubi sic ait. Notandum certius & probabilius esse, maritum post adulterium violentum cognoscentem propriam uxorem vi ab altero cognitam, incurrere irregularitatem Bigamiæ, & ita tenet Sanchez lib. 7. de Matrim. disput. 84. quia vis illa illata exulat quidem scēminam à culpa, non verò efficit, ut matrimonium illud sit aptum ad significandā conjunctionem Christi cum una Ecclesia. Et similiter cum eodem Sancio censeo, incurrere eandem irregularitatem; si cognoscat uxorem post ejus adulterium, etsi non sit notorium, siue scienter, siue ignoranter cognoscat illam, ob eandem rationem; quia talis irregularitas incurritur ex defectu significationis conjunctionis Christi cum Ecclesia, qui re vera est in nostro casu. Ita Caspensis. Vnde in facti contingentia etiam post susceptum Sacerdotium ego consului fuisse impetrandam dispensationem irregularitatis ex copula ignoranter habita cum uxore post adulterium; licet Antonius Cuccus in insti. lib. 4. tit. 12. num. 175. & Bernardus Diaz in Pract. Can. cap. 16. asserant cognoscentem ignoranter uxorem adulteram repellere ab Ordinibus suscipiendis non autem à rectorum executione.

Quæ hic est
inf. Ref. 153.

3. Notandum est hic obiter id quod in 3. part. tract. ... Ref. 43. adnotavi, scilicet esse satis probabile ad incurrendam irregularitatem Bigamiæ requiri utriusque seminis commistionem; Et ideo me citato sic novissimè ait Machadus tom. 1. lib. 3. part. 3. tract. 17. docum. 3. num. 5. [Dudan si para el incurso de esta irregularidad se requiere. Non solum effusio seminis viri, sed etiam scēminæ. Algunos Autores sienten que basta, effusio seminis viri; porquè como despues de Aristoteles enseña Santo Thomas, el de la muger no es necesario para la generacion, ni para la consumacion del matrimonio. Pero no obstante esto, otros defenden lo coherario; fundados en que segun sententia de los Medicos, el semen scēmineum, es necesario para la generacion; i por conseqüente afirman, que sin el no se deve tener el matrimonio por consumado.]

Sup. hoc in
tom. 2. tr. 6.
Ref. 114. & in
aliis ejus
primæ not.

Sic ille; cui adde novissimè Caspensem, ubi supra, in Cursu Theolog. tom. 2. tract. 25. disputat. 5. sect. 14. num. 98.

RESOL. CLII.

An ad incurrendam irregularitatem bigamia requiratur in copula seminis virilis emissio intra vas scēminæ, vel sufficiat tantum copula absque seminatione?

Et an in tali casu quis possit promoveri ad sacros Ordines si res occulta sit, sine aliqua dispensatione? Ex p. 4. tit. 2. Ref. 42.

Vt melius
hanc quæst.
dissolvas le-
ge prius to.

§. 1. Ad incurrendam dictam irregularitatem sufficere tantum copulam absque seminatione, docet Avila de censur. part. 7. disput. 8. dub. 1. Henriquez

lib. 11. cap. 15. num. 3. in gloss. lit. B. Tabiena, Armilla, i. m. 4. Vivaldus, Palacius & alij, quos citat Sanchez de ma. Ref. 43. dub. 1. trimon. tom. 2. lib. 7. disput. 83. num. 6. Sed ipse, & me. & aliorum Vega quibus ego addo Hurtado disp. 2. de matrimonio. difficul. 13. num. 47. Turrianum de censur. lib. 7. disp. 70. dub. 1. Præpos. in 3. part. quæst. 5. de matrim. dub. 9. num. 75. juncto cum num. 77. Coninch disput. 18. dub. 11. n. 102. & Megalam in 3. part. lib. 7. cap. 1. num. 65. Vnde in tali casu quis posset promoveri ad sacros Ordines si res occulta fuerit sine aliqua dispensatione; rationes verò hujus sententiæ invenies apud Sanchez, sed major difficultas consistit in dub. seq.

RESOL. CLIII.

An ad incurrendam irregularitatem bigamia requiratur non solum effusio seminis viri, sed etiam scēminæ?

Et ex doctrina hujus quæstionis inferatur, quod si viro seminantem scēminam non seminaverit, idque paribus confiteatur, possint Religionem ingredi, sique probabile, quod per professionem matrimonium solvatur, atque adeo pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium initiare. Et an ad contrahendam affinitatem sufficiat seminatio viri, vel requiratur etiam seminatio scēminæ? Ex p. 4. tract. 2. Ref. 43.

§. 1. * Solum viri semen requiri docet Vega in sum. §. Sup. in tom. 1. cap. 38. cas. 4. Turrianus de censur. lib. 7. disp. 70. dub. 1. qui citat Sanchez ubi infra, quia semen scēmineum non est necessarium ad consummationem matrimonij & generationem, ut post Aristotelem docet D. Thom. in 3. part. quæst. 1. art. 5. ad 5.

2. Sed ego contrariam sententiam non minus probabilem esse existimo, quam tueri in terminis casus nostri, de quo loquimur. Io. Præpos. in 3. part. q. 5. de insolubilit. matrimonij dub. 9. num. 81. & probabilem etiam esse existimat Sanchez de matrim. tom. 2. lib. 7. disp. 83. num. 6. in fine, quia ex Medicorum sententia semen scēmineum est necessarium ad generationem & consummationem matrimonij. Vnde ex his ultra decisionem casus nostri sequitur primò quòd si viro seminante mulier non seminaverit, idque paribus confiteatur, possint religionem ingredi, sique probabile quòd per professionem solvatur matrimonium, atque adeo pars in sæculo relicta possit aliud matrimonium initiare. Ita Præpos. & alij. Secundo inferitur decisio alterius casus, quem alibi tetigi, licet cum aliqua formidine. Attamen dico igitur esse sententiam probabilem & satis tutam in praxi asserere, quòd ad contrahendam affinitatem non sufficit seminatio viri in scēminæ matricem, in qua est sanguis menstruus ad generationem paratus, sed etiam requiritur seminatio scēminæ, & ita Hurtado 3. part. tract. de matrim. disp. 20. diff. 1. n. 5. qui citat Innocentium de censur. lib. 7. cap. 1. & Lopez, & hanc sententiam probabilem etiam putat Præpos. Sanch. & Turrianus loc. cit. Vnde stante probabilitate hujus sententiæ qui habuit opulam cum contrahente sanguinea, vel affine uxoris, si illa non seminaverit, non quòd contraxit ullum impedimentum, & ideo posset sine dispensatione petere debitum.

In indice primo hujus tom. 5. lege Apendicem ad hunc tract. 5. ubi reperies alias quam plurimas quæst. mistas, & dispersas per alios tom. tract. & Ref. quæ simul pertinent ad hunc tract. 5. de Irregularitate.

TRACTA